



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

4. Allocutio Episcopi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

ut ad tuam cognitionem quocunque modo perveniat, si scis aut tibi indicatum fuerit synodalem causam esse & ad ministerium Episcopi pertinere, quod nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam ullatenus celare debeas Episcopo de Treveris aut ejus Misso, cui hoc inquirere jusserit, quandocunque te ex hoc interrogaverit. Sic te Deus adjuvet & istæ sanctorum reliquiæ.

Reliqui ita jurent.

Istud sacramentum quod iste juravit de synodali causa, quod tu illud observabis, in quantum scis aut audisti, aut ab hac die in antea inquisiturus es. Sic te Deus adjuvet.

Burchard.  
it id. c. 93.

Allocutio Episcopi.

IV. Videte, fratres, ut Domino reddatis juramenta vestra. Non enim homini jurastis, sed Deo creatori vestro. Nos autem, qui ejus ministri sumus, non terrenam substantiam vestram concupiscimus, sed salutem animarum vestrarum requirimus. Cavete ne aliquid abscondatis, & ex alterius peccato vestra fiat damnatio.

Burchard.  
ibid. c. 94.

Post hæc ita per ordinem interroget.

V. 1. Est in hac parrocchia homicida, qui hominem aut spontanea voluntate, aut cupiditatis aut rapacitatis causa, aut casu, aut nolens, & coactus, aut pro vindicta parentum, quod fœdam dicimus, aut in bello, aut jussu domini, aut proprium servum occiderit?

Burchard. lib.  
1. c. 94.